

No. 217. 1371. 7. Juli.

Die Burggrafen Meinher und Berthold von Meissen eignen auf Bitten von vier Gebrüdern von Schleinitz dem Afrastifte Geldzinsen in Brockwitz zu Abhaltung von Seelmessen.

In nomine domini amen. Nos Meinherus et Bertoldus fratres dei gratia sacri Romani imperii buregrauii in Misna comitesque in Hartinstein universis et singulis Christi fidelibus praesentes litteras aevi praesentis tam futuri inspecturis salutem in eo, qui est omnium vera salus. Cum tempora praetereunt more fluentis aquae et labantur, ne igitur ea quae fiunt in tempore cum spatio transeant temporis, necesse est, ut eadem litterarum testimonio et hominum memoriis perhennentur. Hinc est, quod omnibus et singulis, quorum interest vel interesse poterit, cupimus esse notum, quod constituti in nostra praesentia honorabiles et strenni dominus Henricus de Slinicz praepositus ecclesiae Myßnensis et frater suus dominus Frencelinus, canonicus regularium sanctae Affrae in Mysna plebanus in Lamachz, cum aliis duobus fratribus ipsorum videlicet Jenchino et Ernfrido similiter dictis de Slinicz, de bonis hereditariis et paternis unam sexagenam latorum grossorum annui census cum quatuor pullis, et unam sexagenam ovorum (in terminis videlicet sancti Donati mediam sexagenam et sancti Michahelis aliam mediam sexagenam cum pullis, pascae vero ova) relicta Kunatyn, censualis, de uno manso cum area adiacente et aliis attinenciis sitis in pago villae Brocticz, quem eadem hereditarie possidet et possedit, in salutem animarum suarum et progenitorum suorum donaverunt et dederunt resignatione voluntaria seu spontanea coram nobis facta monasterio, .. praeposito et conventui canonicorum regularium sanctae Affrae intra muros Myßenenses situato, ita quod magister firmariae qui pro tempore fuerit ipsum censum cum suis oblegiis praedictis colligere et tollere debeat in terminis solutionis praexpressis, et in anniversario Henrici de Slinicz militis felicis recordationis patris dictorum dominorum et fratrum dictorum de Slinicz unum solidum grossorum dominis canonicis regularibus ibidem in Mysna constitutis ministrare teneatur et dividere taliter, quod emancipati integras portiones percipere debeant et alii non emancipati percipere debeant mediam portionem de pecunia, videlicet XII grossis suprascriptis. Et ipsi canonici regulares portiones percipientes vigilias maiores cum pulsu decenti et missa pro defunctis, cum recommendatione ad populum et collectis in anniversario legendis peragent et peragi instaurent more solito et consueto; in anniversario vero Adilheidis, matris dictorum fratrum de Slinicz praedictus magister firmariae pro tempore similiter duodecim grossos in omnem modum, ut in anniversario mariti sui Henrici de Slinicz militis praedicti omnibus canonicis praedictis ministrabunt cum omni observantia prius scripta. Domino vero Henrico praeposito Myßenensi praedicto in hac vita perseverante idem collector in omnem modum ut praemittitur XII grossos similiter dominis canonicis praedictis ministrabit, qui singulis annis infra quindenam post Michahelem continue sequentem unam missam de beata virgine Maria pro salute ipsius adiuncta collecta solempniter decantabunt; etiam domino Frenczino ipsius fratre praedicto in vita durante idem collector XII